

DEDICATIO.

*sed tamen sine tædio. Ac primum quidem à Dei cultu auspiciatò tibi initium sumendum est, & in eodem desinendum, ita ut Deum facias A & Ω tuorum studiorum. Sic autem sacro huic actui tribues primum & postremum diei, ut etiam reliquo, quod inter hæc duo extrema interjacet, tempore, Deum venereris. Cùm enim Dei sis filius, semper quæ Deo digna sunt cogitabis. Propè est à te Deus, tecum est, intus est. Hunc igitur reverere semper & ubiq;. Pietatem statue fundamentum tuarum actionum, & quoties contubernium Humanitatis ingredi cogitas, Pietatis templum ne præteri. E templo Pietatis rectè ibis ad fanum Laboris & Constantiæ. Hic tibi prima & ultima cura, ut non Latine, sed bene Latine scias. Hoc ut consequare, primò omnium leges Terentium, authorem purũ & concinnum. Postea te accinges ad lectionem Plauti, quo nihil habebis familiarius hoc in studio. Hunc Latine lingua decus; hunc Musarum decimam; hunc Latii florem appellarunt viri latinitatis laude celebratissimi, qui tanti fecerunt hunc Comicum, ut ab illo initium fieri voluerint, in quo seorsum ab illis sentio, quòd sciam Plautum habere quædam difficiliora. Qui à Cicerone auspiciandum esse putant, à januâ aberrant. Cùm enim grande sit ejus dicendi genus, in familiaribus colloquiis difficulter illo uti possumus. Fue-*